

Patrologia Latina, Full Text

Vol. 101

Main volume text

[OPERA OMNIA ALCUINI.]

BEATI FLACCI ALBINI SEU ALCUINI CAROLI MAGNI MAGISTRI OPERUM
PARS

SEPTIMA.---OPP. DIDASCALICA.

Alcuinus: OPUSCULUM QUINTUM. PIPPINI REGALIS ET NOBILISSIMI
JUVENIS

DISPUTATIO CUM ALBINO SCHOLASTICO.

[Col. 0975]

OPUSCULUM QUINTUM. PIPPINI REGALIS ET NOBILISSIMI JUVENIS
DISPUTATIO CUM ALBINO
SCHOLASTICO.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0975C]

*Cl. Quercetanus Disputationem quae sequitur edidit juxta exemplar impressum
Hamburgi anno 1615. In codice ms. Salisburgensi 900 annorum eadem Disputatio
exstat media inter epistolas et carmina Alcuini, absque tamen auctoris nomine; e
quo lectiones variantes adnotavimus.*

Disputatio regalis et nobilissimi iuvenis Pippini cum Albino scholastico

1. **Pippinus.** Quid est littera?---**Albinus.** Custos historiae.
2. **P.** Quid est verbum?---**A.** Proditor animi.
3. **P.** Quis generat verba?---**A.** Lingua.
4. **P.** Quid est lingua?---**A.** Flagellum aëris.
5. **P.** Quid est aër?---**A.** Custodia vitae.
6. **P.** Quid est vita?---**A.** Beatorum laetitia, miserorum męstitia, exspectatio mortis.
7. **P.** Quid est mors?---**A.** Inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, lacrimae viventium, testamenti firmamentum, latro hominis.
8. **P.** Quid est homo?---**A.** Mancipium mortis, transiens viator, loci hospes.
9. **P.** Cui similis est homo?---**A.** Pomo.
10. **P.** Quomodo positus est homo?---**A.** Ut lucerna in vento.
11. **P.** Ubi est positus?---**A.** Intra sex parietes.
12. **P.** Quos?---**A.** Supra, subtus, ante, retro, dextra laevaue.
13. **P.** Quot habet socios?--- **A.** Quattor
14. **P.** Quos? **A.** Calorem, frigus, siccitatem, humorem.
15. **P.** Quot modis variabilis est?---**A.** Sex.
16. **P.** Quibus?---**A.** Esurie et saturitate, requie et labore, vigiliis et somno.
17. **P.** Quid est somnus?---**A.** Mortis imago.
18. **P.** Quid est libertas hominis?---**A.** Innocentia.
19. **P.** Quid est caput?---**A.** Culmen corporis.
20. **P.** Quid est corpus?---**A.** Domicilium anime.

21. **P.** Quid sunt comę?---**A.** Vestes capitis.
22. **P.** Quid est barba?---**A.** Sexus discretio, honor aetatis.
23. **P.** Quid est cerebrum?---**A.** Servator memoriae.
24. **P.** Quid sunt oculi?---**A.** Duces corporis, vasa luminis, animi indices.
25. **P.** Quid sunt nares?---**A.** Adductio odorum.
26. **P.** Quid sunt aures?---**A.** Collatores sonorum.
27. **P.** Quid est frons?---**A.** Imago animi.
28. **P.** Quid est os?---**A.** Nutritor corporis.
29. **P.** Quid sunt dentes?---**A.** Mole morsorum.
30. **P.** Quid sunt labia?---**A.** Valvae oris.
31. **P.** Quid est gula?---**A.** Devorator cibi.
32. **P.** Quid manus?---**A.** Operarii corporis.
33. **P.** Quid sunt digiti?---**A.** Cordarum plectra.
34. **P.** Quid est pulmo?---**A.** Servator aëris.
35. **P.** Quid est cor?---**A.** Receptaculum vitae.
36. **P.** Quid est iecur?---**A.** Custodia caloris.
37. **P.** Quid est fel?---**A.** Suscitatio iracundię.
38. **P.** Quid est splenis?---**A.** Risus et laetitiae capax.
39. **P.** Quid est stomachus?---**A.** Ciborum coctor.
40. **P.** Quid est venter?---**A.** Custos fragilium.
41. **P.** Quid sunt ossa?---**A.** Fortitudo corporis.
42. **P.** Quid sunt coxę?---**A.** Epistilia columnarum.
43. **P.** Quid sunt crura?---**A.** Columnę corporis.
44. **P.** Quid sunt pedes?---**A.** Mobile fundamentum.
45. **P.** Quid est sanguis?---**A.** Humor venarum, vitae alimentum.
46. **P.** Quid sunt vene?---**A.** Fontes carnis.
47. **P.** Quid est caelum?---**A.** Sphaera volubilis, culmen inmensum.
48. **P.** Quid est lux?---**A.** Facies omnium rerum.
49. **P.** Quid est dies?---**A.** Incitamentum laboris.
50. **P.** Quid est sol?---**A.** Splendor orbis, caeli pulchritudo, naturae gratia, honor diei, horarum distributor.
51. **P.** Quid est luna?---**A.** Oculus noctis, roris larga, praesaga tempestatum.
52. **P.** Quid sunt stelle?---**A.** Pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor.
53. **P.** Quid est pluvia?---**A.** Conceptio terre, frugum genitrix.
54. **P.** Quid est nebula?---**A.** Nox in die, labor oculorum.
55. **P.** Quid est ventus?---**A.** Aëris perturbatio, mobilitas aquarum, siccitas terre.
56. **P.** Quid est terra?---**A.** Mater crescentium, nutrix viventium, cellarium vitae, devoratrix omnium.
57. **P.** Quid est mare?---**A.** Audaciae via, limes terrae, divisor regionum, hospicium fluviorum, fons imbrum, refugium in periculis, gratia in voluptatibus.
58. **P.** Quid sunt flumina?---**A.** Cursus indeficiens, refectio solis, irrigatio terre.
59. **P.** Quid est aqua?---**A.** Subsidiium vitae, ablutio sordium.
60. **P.** Quid est ignis?---**A.** Calor nimius, fatus nascentium, maturitas frugum.
61. **P.** Quid est frigus?---**A.** Febricitas membrorum.
62. **P.** Quid est gelu?---**A.** Persecutio herbarum, perditor foliorum, vinculum terrae, fons aquarum.

63. **P.** Quid est nix?---**A.** Aqua sicca.
64. **P.** Quid est hiemps?---**A.** Aestatis exul.
65. **P.** Quid est ver?---**A.** Pictor terrae.
66. **P.** Quid est aestas?---**A.** Revestio terrae, maturitio frugum.
67. **P.** Quid est autumnus?---**A.** Horreum anni.
68. **P.** Quid est annus?---**A.** Quadriga mundi.
69. **P.** Quis ducit eam?---**A.** Nox et dies, frigus et calor.
70. **P.** Quis est auriga ejus?---**A.** Sol et luna.
71. **P.** Quot habet palatia?---**A.** Duodecim.
72. **P.** Qui sunt praetores palatiorum?---**A.** Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.
73. **P.** Quot dies habitant in unoquoque palatio?---**A.** Sol .xxx. dies et decem semis horas; luna duos dies et octo horas et bisse unius horae.
74. **P.** Magister, timeo altum ire.---**A.** Quis te duxit in altum?
75. **P.** Curiositas.---**A.** Si times, descendamus; sequar quocumque ieris.
76. **P.** Si scirem quid esset navis, prepararem tibi, ut venires ad me.---**A.** Navis est domus erratica, ubilibet hospitium, viator sine vestigiis, vicinus harenae.
77. **P.** Quid est harena?---**A.** Murus terrae.
78. **P.** Quid est herba?---**A.** Vestis terre.
79. **P.** Quid sunt holera?---**A.** Amici medicorum, laus coquorum.
80. **P.** Quid est qui amara dulcia facit?---**A.** Fames.
81. **P.** Quid est quod hominem non lassum facit?---**A.** Lucrum.
82. **P.** Quid est vigilantanti somnus?---**A.** Spes.
83. **P.** Quid est spes?---**A.** Refrigerium laboris, dubius eventus.
84. **P.** Quid est amicitia?---**A.** Aequalitas animorum.
85. **P.** Quid est fides?---**A.** Ignotae rei et mirandę certitudo.
86. **P.** Quid est mirum?---**A.** Nuper vidi hominem stantem, molientem, ambulantem, qui nunquam fuit.
87. **P.** Quomodo potest esse, pande mihi?---**A.** Imago in aqua.
88. **P.** Cur hoc non intellexi per me, dum toties vidi hunc ipsum hominem?---**A.** Quia bonae indolis es juvenis et naturalis ingenii. Proponam tibi quaedam alia mira; tempta, si per te ipsum possis conicere illa.
89. **P.** Faciemus tamen ita, ut si secus quam est dicam, corrigas me.---**A.** Faciam, ut vis.
90. Quidam ignotus mecum sine lingua et voce locutus est, qui nunquam ante fuit, nec postea erit, et quem non audiebam, nec novi.---**P.** Somnium te forte fatigavit, magister.
91. **A.** Etiam, fili; audi et aliud: Vidi mortuos generare vivum, et in ira vivi consumpti sunt mortui.---**P.** De fricatione arborum ignis natus est consumens arbores.
92. **A.** Verum est. Audivi mortuos multa loquentes.---**P.** Nunquam bene, nisi suspendantur in aëre.
93. **A.** Vere. Vidi ignem inextinctum pausare in aqua.---**P.** Silicem in aqua significare vis, reor.
94. **A.** Vidi mortuum sedentem super vivum, et in risu mortui moritur vivus.---**P.** Hoc coqui nostri norunt.

95. **A.** Norunt, sed pone digitum super os, ne pueri hoc audiant, quid sit. Fui in venatione cum aliis, in qua si quid cepimus, nihil nobiscum portavimus et quod capere non potuimus, domum portavimus nobiscum.---**P.** Rusticorum est haec venatio.
96. **A.** Est. Vidi quemdam natum, antequam esset conceptus.---**P.** Vidisti, et forte manducasti.
97. **A.** Manducavi. Quis est qui non est, et nomen habet et responsum dat sonanti?---**P.** Biblos in silvis interroga.
98. **A.** Vidi hospitem currentem cum domo sua, et ille tacebat, et domus sonabat.---**P.** Para mihi rete, et pandam tibi.
99. **A.** Quis est, qui videre non potest, nisi clausis oculis?---**P.** Qui stertit, tibi ostendit illum.
100. **A.** Vidi hominem octo in manu tenentem, et de octonis subito rapuit septem, et remanserunt sex.---**P.** Pueri in scholis hoc sciunt.
101. **A.** Quis est cui si caput abstuleris, et resurgit altior?---**P.** Vade ad lectulum et ibi inuenies.
102. **A.** Tres fuere: unus nunquam natus et semel mortuus, alter semel natus, et nunquam mortuus, tertius semel natus et bis mortuus.---**P.** Primus equivocus terre, secundus Domino meo, tertius homini pauperi.
103. **A.** Dic tamen primas litteras nominum.---**P.** .i.,.v.,.xxx.
104. **A.** Vidi feminam volentem, rostrum habentem ferreum et corpus ligneum et caudam pennatam, mortem portantem.---**P.** Socia militum.
105. **A.** Quid est miles?---**P.** Murus imperii, timor hostium, gloriosum servitium.
106. **A.** Quid est quod est et non est?---**P.** Nihil.
107. **A.** Quomodo potest esse et non esse?---**P.** Nomine est et re non est.
108. **A.** Quid est tacitus nuntius?---**P.** Quem manu teneo.
109. **A.** Quid tenes manu?---**P.** Epistolam tuam.
110. **A.** Lege feliciter, fili.